



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

11 Quæ forma seruanda sit in dispensatione expressa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

PUNCTUM XI.

Quæ forma servanda sit in dispensatione expressa.

- 1 Nulla est prescripta forma verborum, sed illa sufficit, quæ mentem dispensantis exprimit.
- 2 Ad valorem dispensationis, cum absenti conceditur, mandatum eius non requiritur.
- 3 Non tamen habet effectum, quorsive dispensatio innotescat.
- 4 Gratia impetrata valet absque tuo mandato, secus illius acceptatio.

Dupliciter dispensatio concedi potest, tacite, inquam, vel expressè. Expressam dispensationem voco eam, quæ verbis expressis conceditur. Tacitam, quæ ex signis aliquibus vel factis inferitur, & præsumitur.

Nulla est prescripta verborum forma pro dispensatione concedenda, neque ex natura rei, neque ex iure; sed illa erit sufficiens, quæ satis expressè sit voluntatem dispensantis, & effectum dispensationis. Hic autem effectus dispensationis potest & specialiter, & generaliter declarari. Specialiter declaratur, si sumatur specialiter id cuius est dispensatio. Ut si superior diceret: Dispensatio tecum in hoc, & illo impedimento, in hac, vel illa irregularitate. Generaliter declaratur, si sub verbis generalibus exprimitur, dicendo, in quacumque irregularitate, vel in quocumque impedimento, quod habes, tecum dispenso. Qui modus dispensandi factus est ad constituendam dispensationem expressam, ut bene probat Tiracquel de legibus comm. gloss. 7. n. 86. & seqq. Item debet exprimi persona, quia dispensatio, alicuius est dispensatio. Debet, inquam, exprimi, vel exprimitur eius nomen, vel æquivalentes. Item non est necessaria scriptura ad hanc expressam dispensationem; sufficit si verbo tenus fiat, ut latè diximus in *dispens. privileg.* Et ratio pro dispensatione est manifesta, cum enim dispensatio legis, sit relaxatio obligationis, quam lex inducit, & hæc obligatio ex voluntate pendet legislatoris, si legislator cessat à voluntate obligandi, tibi que manifestat, cessat tibi obligatio legis, & consequenter est in lege dispensatus. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus ex iure non prodest etiam in foro conscientie dispensatio, nisi in scriptis fiat, aliquos enumerat glossa in *cap. 1. §. postquam, de censibus libro 6. verbo in scriptis, & Trident. sess. 2. c. 5. de reformat.* & nos diximus illo loco de privilegiis.

2 Deinde ad valorem dispensationis, cum absenti conceditur, mandatum eius non requiritur, sed ipsi ignorantem concedi potest, quia nulli habetur necessarium esse mandatum pro gratia, privilegio & dispensatione obtinenda. Hæc enim differentia est inter rescripta gratiæ, & iustitiæ, quod rescripta iustitiæ, speciale mandatum requirunt, ut habetur in *capite nonnulli, §. sine, de rescriptis, & ibi glossa, & in capite qui ad agendum, de procuratoribus, in 6.* At rescripta gratiæ nullum mandatum expostulant. Optat enim ius præcedere lites, ideoque ne augeantur, hoc speciale impedimentum apposuit pro rescriptis ad lites, quod in rescriptis gratiæ non procedit. Quapropter in *leg. uniuersis, de de precibus impetrat. afferend.* dicitur rescriptum ab Imperatore concessum validum esse, per quemcumque impetratum sit. Neque obstat textus in *capite innotuit, de elect.* ubi videtur annullatum rescriptum, eo quod fuerit sine mandato impetratum: inquit enim textus: *cum non ad postulandam dispensationem, sed ad petendam confirmationem ipsius fuerint nuntii destinati.* Quia ibi non annullatur rescriptum, quia fuit concessum sine mandato, sed quia fuit concessum pro confirmatione irritæ electionis, nulla dispensatione facta. Item ibi requiratur mandatum Capituli, quia agebatur de confirmatione electionis ad ipsum pertinentem: non tamen inde inferitur requiri mandatum eius, qui gratia confertur, imò potius contrarium non leuiter ex illo text. probatur & ita tenet Azor *lib. 5. cap. 23. qu. 12.* Suarez cum Rebuff. & Nauarr. *lib. 6. cap. 13. n. 5. & 6. Salas disp. 20. sect. 14. Saa verbo gratia, num. 13. Petri Gregori. in cap. nonnulli, verb. absque speciali mandato, de rescriptis, lib. 2. Hagolin. de irregular. cap. 62. num. 5. Basili. de Leon *lib. 8. de matrim. capite 15. n. 3.* Thomas Sanchez alios referens *lib. 8. de matrim. disp. 20. num. 4.**

3 Aduerto tamen, etsi dispensatio, gratia, & privilegium absque tuo mandato impetratum, vel concessum à Principe valorem habeat; non tamen habet effectum, quorsive tibi innotescat, & illud acceptes, quia est quadam donatio, quæ per acceptationem completur: & sic tibi inuito, & renuente concedi possit, hoc tamen nunquam debet præsumi, nisi id manifestè constet, ne gratiæ Principis vilipendantur. Quapropter semper trahunt secum imbitam conditionem; si tibi placita sit, & grata existat, sic videtur decisum *cap. ad mandatum, vers. ex parte, de concess. præbend. & tradunt Suarez, Salas Basilius, & Sanchez supra.* Adde neque expedire Principi dispensationem concedere, nisi petitionibus sit coactus; quia est iuris relaxatio, ad quam faciendam non se debet Princeps facilius exhibere.

Mand. de resignat. grat. tit. de dispens. Rodriguez *tom. 1. q. 2. art. 3. regul. 99. & colligitur ex l. 4. §. 4. ff. de damno infecto.* Non tamen inde inferitur non posse aliquando absque petitione concedere, si id viderit expedire, ut rectè Suarez *lib. 6. cap. 13. num. 8.*

4 Aduerto secundò. Quamuis impetrata gratia absque tuo mandato valeat, acceptatio illius non valet, nisi ex tuo mandato; quia gratia valet pendet à concedente præcisè: at acceptatio illius pendet ab ipso, cui gratia confertur, argum. text. in *casu tibi absenti, de præbend. in 6.* & notauit ex Petro Gregorio, Basilio *illo c. 15. n. 3.*

PUNCTUM XII.

Quæ conditiones seruandæ sint in dispensatione tacita.

- 1 Quilibet potest tam in suis legibus, quam in legibus superioris hanc dispensationem concedere.
- 2 Cognoscitur hæc tacita dispensatio, si tibi à Prelato mandetur actus, qui sine dispensatione fieri non potest.
- 3 Secundo, si videat te dispositi ad operandum contra legem, & non impediatur, cum facile possit.
- 4 Proponitur sententia plurium assentientium taciturnitatem, & dissimulationem Prelati non esse sufficiens signum tacitæ dispensationis.
- 5 Satisfit, & explicatur doctrina.
- 6 Rati habitio, & præsumptio excusans ab obligatione, non debet subsequi actum, sed antecedere.

Omissis variis dicendi modis, qui à veritate sunt alieni, quid probabilius censeam paucis exponam.

Dicendum ergo est dispensationem tacitam, quæ consistit in rati habitio, seu præsumptione voluntatis superioris dispensantis non solum concedi posse à quolibet legislatore respectu suatum legum, sed etiam respectu legum superiorum. sic docet plures referens Sanchez *lib. 8. disp. 4. numero 16.* Suarez *lib. 6. cap. 13. n. 13. & tom. 5. de censur. disp. 4. r. sect. 3. in fine.* Salas *disp. 20. sect. 2. n. 8.* Emanuel Saa *verbo dispensatio, n. 12.* Basilius *de matrim. l. 15. n. 5.*

Ratio est, quia pro dispensatione concedenda non est in iure forma aliqua prescripta, led eo ipso, quo manifestetur voluntas dispensantis, dispensatio habet effectum: at non tantum verbis, sed etiam signis manifestari potest eius voluntas. Ergo dari potest dispensatio tacita?

Neque obstat ad dispensationem requiri noticiam causæ: nam hæc esse potest vel testibus, vel rei notorietate, & illa postea dicimus dari posse dispensationem tacitam. Adde, viderimus statim. Satis probabile est causæ cognitionem non præmissa validam esse dispensationem, si causa subsistat. Ergo nihil obstat, quominus legislator dispensationem tacite concedere possit.

2 Difficultas ergo est, quibus signis censeri iure potest Prelatus velle dispensationem concedere: cum enim sit questio de facto, & que pendet ex animo Prelati, non est præsumenda, nisi probetur.

Primum signum, & communiter receptum est, si tibi à Prelato præcipiatur, vel concedatur actus, qui sine dispensatione exerceri non potest: tunc enim censetur dispensare, quia non censeri debet Prelatus præcipere, vel concedere ea, quæ illicita sunt, & iure repugnantia. Quapropter, si tibi irregulari delictis ad ordines concedit, vel beneficium confert, censetur quidem tecum dispensare illa in parte: & colligitur ex *leg. quidam consulabat, §. sine, ff. de re iustic.* ubi Princeps dignitatem concedens minori, censetur dispensare, ut gesta per ipsum valeant. Debet autem procedere sciens te esse impediatum, aliàs non erit dispensatio, cum ex ignorantia impedimentum mandatum, procedat. sic Rebuff. in *pract. tit. de dispensat. à num. 5.* Suarez alios referens *lib. 6. cap. 13. num. 23. & 24.* Salas *disp. 20. sect. 2. num. 8. vers. sic secundus modus.* Azor *tom. 1. libro 5. cap. 15. quæst. 10. & vltim.* Nauarr. *prælud. 9. numero 15. & cap. 2. numero 74.* Sanchez *libro 8. disp. 4. num. 2. & seqq.* dicens esse communem omnium sententiam in supremo Principe, eamque late probat. Et idem est de inferioribus in his, in quibus dispensare possunt.

3 Secundum signum tacitæ dispensationis, & præsumptæ voluntatis est, si potens dispensare videat te dispositi ad operandum contra legem, & de facto operari, & taceat, nec impediatur, cum facile id impedire possit. Quia qui tacet, consentire videtur, ex *reg. iur. 43. in 6.* quæ maxime procedere debet, cum ex officio teneatur non tacere, nisi consentiat. Ratio quare hoc signum videatur sufficere, est, ne præsumatur in superiore delictum, quod sanè esset, si tibi subditum non coëcceret, & detineret, cum facile posset, ne legem sine dispensatione transgrediretur. Adde, illa patientia est rati habitio de præfati, quæ sufficit ad concedendam iurisdictionem, ut multis allegatis probat Sanchez *lib. 3. disp. 3. num. 20.* Valquez *tom. 6.*